



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz Toletani è Societate Iesv**

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

§. 5. De Circumspectione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46634)

tionem tuam à summo cœlo, & reditum tuum vsq; ad summum eius propter Adam, & posterorum eius salutem, celerrimè peregisti: præcinge nos sancti feruoris virtute, & pone immaculatam ab omni segnitie viam vitæ & conuersationis nostræ. Perfice sollicitudine à te immissa pedes, hoc est, affectus nostros, tanquã ceruorum, & nos super excelsa & inaccessibilia virtutis statue, vt tibi summo Regi in terris positi, sicut in cœlis Angeli seruiunt, sollicitè & vigilanter seruiamus. Amen.

*De Circumspectione. §. V.*

**C**ircumspectio est attentio mentis sedula ad ea, quæ circumstāt bonum opus, quod aggredimur, vt rectè & secundùm prescriptum virtutis fiat; & ad ea quæ insurgunt, & sese obijciunt, impedimenta, ne quod prudenter incipimus, sinistrè succedat. Et hæc pars circumspectionis, quæ mentem præmunit aduersus insurgentia & imminencia mala, vocatur cautio; de qua Paulus: *Videte fratres*

*Ep. 5. 15.*

fratres quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes. De circumspectione autè Ecclesiasticus *Eccl. 10* ait: *Beatus vir, qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei: vt scilicet ex ea dilcat, quomodo se in omnibus circūspectè habere debeat,*

Incitamenta ad circumspectionē sunt: I. Malitia diaboli, qui, vt Petrus ait, *tanquam leo rugiens circuit querēs quem deuoret.* Et licèt libenter malis & impuris hominibus vescat, tamen bonos præcipuè ac puros deuorare & deglutire nititur. Pulchrè enim Gregorius ait: *Sed antiquus hostis hoc pro magno non habet, quòd sub iure sua tyrannidis terrena quærentes tenet: Propheta quipè attestante cognouimus, quia esca eius electa: Nec enim mirum deputat si eos absorbeat, quos superbia erigit, auaritia tabefacit, voluptas dilatat, malitia angustat, ira inflammat, discordia separat, inuidia exulcerat, luxuria inquinans necat*

*Eccl. 10*

22.

*1. Petr. 5.*

8.

*Greg. 33.**mor. c. 18.**Abacuc*

1.

necat

necat. Absorbebit ergò fluuium, & non mirabitur, quia pro magno non estimat, cum eos deuorat, qui per ipsa sua vita studia deorsum currunt, sed illos magnoperè rapere nititur, quos despectis terrenis studijs iungi iam celestibus cōtemplatur. Cum ergò iusti tam antiquum & implacabilem hostem habeant, mirum erit, si securi dormiant & non circumspēcti, & cauti aduersus illum se diligenter accingant.

II. Omnia sunt plena periculis, & non solum in vitio, sed in ipsa virtute discrimen est, quare necessarius est discretionis oculus, qui pericula spiritualia præuideat, & solers cautionis gubernator, qui latrunculos, nos infestare & deprædari volentes, semel cognitos arceat, & thesaurum virtutis integrum intactumque custodiat. Meritò quidem seruus ille laudatur, quem, cum venerit Dominus, inuenerit vigilantem, adeò ut dignus sit super bona Domini constitui. Ille autem vigilat, qui circumspēctus est, ut prouideat bona, & cautus, ut tota mentis contentione fugiat, & vitet mala.

III

III. Dominus mittens discipulos ad prædicandum, ait illis: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Mat. 10. 16.

*Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut colūbæ.* Dominus quidē mittit, & ex hac parte satis securi sunt, at ex parte luporū, inter quos mittuntur, non possunt non esse obnoxij discrimini. Sint ergo simplices sicut colūbæ, vt simpliciter iussa impleant, & in Domino mittente confidant, sed sint prudentes sicut serpentes, vt inter lupos, & vitia, & occasiones cadendi, sibi caueant. Serpentis prudentia circumspecta & callida est: Nam serpens, vt inter alios inquit Basil. ho. in princ. prouerb. *si quid periculi incurrere viderit, caput ante omnia custodit: sic & nos, quia pericula vndique circumstare videmus, vt caput, id est, vitam animæ conseruemus, ab omnibus, quæ eam aut destruere, aut minuere possunt, diligenter caueamus.*

Actiōnes circumspeditionis sunt:

I. Circa finem, vt in omnibus, quæ agimus, bonum diuini obsequij finem intendamus, ad illumque vehemen-

G ter

ter afficiamur, quo Difficultates eura  
 assequendi superare possimus.

II. Circa media: vt in eorum ele-  
 ctione, & multò magis in executio-  
 ne, passionem, præcipationem, &  
 obstinationem fugiamus. Nam passio  
 cæcat, præcipitatio deiicit, & obsti-  
 natio in propria sententia, salutari  
 consilio ianuam occludit.

III. Circumspectio extrema fu-  
 git, quia virtutem quærit, quæ medi-  
 um locum obtinet.

IV. An ea quæ eligit sint propor-  
 tionata fini obsequij Dei, & virtutis  
 assequendæ, aut proximo proficien-  
 di, diligenter inquirat. Erunt autem  
 proportionata, si bona, quia pro nul-  
 lo sine bono malum faciendum est,  
 si statui operantis conuenientia, si v-  
 tilitatem aliquam ad consequendum  
 finem allatura iudicentur.

V. Circumspectio in dubijs, si cõ-  
 silium quærit, omnes quidem audit,  
 sed sententiam pauciorum, id est,  
 prudētiorum & optimorū admittit.

VI. Festinat lentè, & nec statim,  
 quid sit faciendum, sed maturè post  
 attentè

attentam considerationem, decernit: nec ante tempus opportunum ad executionem procedit.

VII. Ita est matura, vt non sit nimis tarda, nec tempus loquendi, aut faciendi, quod oportet, labi finit ob nimium errandi timorem.

VIII. Circumspectio ad ea quæ cogitat, quæ loquitur, & quæ agit, vigilanter attendit ne in substantia operis, aut in modo deficiat. Scit etiam, nec omnia vera dicenda esse, nec omnia tacenda. Seruat optimè consilium Sapientis: *Omnia tempus habent, & tempus tacendi, & tempus loquendi: & magis ad taciturnitatē, Eccl. 2. 1.* quàm ad loquacitatem inclinat.

IX. Non omnibus fidit, nec arca sua passim reuelat, custodiens illud Salomonis: *Totum spiritum suum profert stultus, sapiens differt, & reseruat in posterum. Pro. 29. 24.*

X. Procul odoratur bellum, & pericula ventura præuidet, & si potest illa fugit, sin minus orationibus, & sanctis considerationibus, & alijs medijs se præmunit, & ante  
G 2      languo-

Eccl. 18.

20.

*languorem adhibet medicinam, & ante iudicium interrogat seipsam.*

XI. Nequaquam omni spiritui credit, sed probat spiritus an ex Deo sint. Aduersariorum tentationes intelligit, & ad eas propulsandas conuenientia remedia adhibet, & se non in pace; sed in belli procinctu stare cognoscit.

XII. Circumspectio ubi timendum est, timet, & ubi formidinis nihil est, confidenter incedit, & non omnia bona, sed statui & vocationi conuenientia præsumit.

XIII. Opiniones vulgi contemnit, dicta & subfannationes tepidorum pro nihilo ducit, & solum Dei beneplacitum, conscientie attestacionem, & bonorum approbationem inquirat.

XIV. Nec omnia credit, nec omnia discredit, nec omnia affirmat, nec omnia negat, nec omnia iustificat, nec omnia damnat, nec ob sanctitatem vnius omnes approbat, nec ob peccatum alterius vniuersos cõdemnat, sed quæcunque se offerunt, ex præscripto rationis iudicat. XV.



XV. In æstimatione rerum externa specie non fallitur, sed oculis mentis, vt verum eruat, intima penetrare conatur. Scit enim lignum vile aliquando auri colore splendere, & fel sub melle, ac spinas sub rosis latitare, & lupos conuersatione vestimentis ouium coopertos inueniri.

XVI. Tandem circumspectio non est facilis in credendo, quod est signum leuitatis; nec in concedendo, quod est causa poenitudinis; nec in iudicando, quoniam est seminarium erroris; nec in promittendo, quia est species quædam virtutis; nec in conuersando quia est occasio contemptus, nec in irascendo, nam est insanix apertum indicium.

Postulatio Circumspectionis. Domine IESU Christe, Agne innocentissime, & amator hominum sapientissime, qui tanta in terris circumspectione vixisti, vt inter hostes tuos positus, dicere potueris: *Quis ex vobis* Io. 8. 46.  
*arguet me de peccato?* Hacque tam libera innocentix attestacione neminem ad te reprehendendum, quia nihil omnino

150 DE VIRT. IUSTIT.

maino reprehensione dignum habes, prouocasti. Da nobis, oramus supplices, circumspectā & cautam conuersationē, vt peccata vitemus, & in omnibus, quæ aggressi fuerimus, bonum tui odorem spargamus. Amen.

*De Virtute Iustitia.*

C A P V T V I I.

**I**USTITIA, præstantissima virtus, quæ homines à mutuis iniurijs auertit, ciuitates erigit & custodit, regna florere & eminere facit, & vniuersum orbē in pace constituit, nō vna tantū virtus est, specie atoma (vt more scholarū loquamur) sed in multas ac varias species, ac quasi partes distributa. Cū enim iustitia vnicuiq; debitū reddat, secundum diuersitates debitorum, quæ pēdimus, & difficultates exoluendi, diuersas iustitias aut vnius iustitiæ partes assignare compellimur. Certē quidē iustitiæ quatuor sunt species: nēpè legalis, æquitas, distributiua, & cōmutatiua. Iustitia legalis est, quæ respicit iustum & æquū reipub. aut bono commu-